

## § II. — De ritu in scrutinio de Novitiis servando.

1541. Novitius (vel Novitii, si plures sint), de quo suffragia ferenda sunt, dato pro scrutinio signo, quo ordinarie Fratres vocantur in refectorium, in Chorum se confert, ibique tempore scrutiniî piâs preces effundat.

1542. Fratribus omnibus, etiam qui sunt votorum simplicium, in refectorio congregatis, Superior Hymnum intonat *Veni Creator* (vid. num. 1535), quem alternatim omnes prosequuntur. Quo dicto, subiungit:

Ÿ. *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur:*

℞. *Et renovabis faciem terrae.*

Ÿ. *Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix:*

℞. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Ÿ. *Signasti, Domine, servum tuum Franciscum:*

℞. *Signis redemptionis nostrae.*

Ÿ. *Domine, exaudi orationem meam:*

℞. *Et clamor meus ad te veniat.*

Ÿ. *Dominus vobiscum:*

℞. *Et cum spiritu tuo.*

## OREMUS.

*Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.*

*Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsentis liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.*

*Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci meritis foetu novæ prolis amplificas: tribue nobis ex eius imitatione terrena despiciere, et coelestium donorum semper participatione gaudere.*

*Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando præveni, et adiuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.*

1543. Deinde expansis manibus, dicuntur 5 *Pater noster* et *Ave Maria*.

1544. Quibus dictis, Fratres professionis solemnem surgunt et more solito ad locum suum mensae accedunt. Iuvenes vero, qui professionem solemnem nondum emisissent, genuflexi manebunt, ubi sunt.

1545. Fratribus sic sedentibus, Superior omnes exhortatur, ut quidquid Novitii admissioni ad Ordinem prodesse aut esse contrarium possit, candidè, sincère et coram Deo manifestent, exceptis rebus nullius momenti vel defectibus omnino occultis, quos iam ante scrutinium Superiori aut Magistro Novitiorum manifestare debuerunt, et quod in dandis votis sine ullo humano affectu et respectu agant, ac denique quod postea de dictis et auditis in scrutinio strictum silentium teneant inter se, ac præsertim cum Novitio.

1546. Primo deinde simplicis professionis iuvenes de dignitate admittendi iudicium clara et intelligibili voce dicant, incipiendo a iunioribus; quo facto, omnes simul terram osculentur, e refectorio recedant et Chorum petant ad implorandum a Deo felicem scrutiniî exitum.

1547. Ipsis discessis, deliberatio de dignitate Novitii continuatur, incipiendo a iuniore Fratre Laico, deinde

sequuntur eodem modo Clerici et Patres, ultimo loco Magister ac Superior; quo finito, vota fabis albis et nigris urna aliqua secreto sumuntur, incipiendo a Superiore, postea ex una et altera parte mensarum rectorii. Vota dein omnibus videntibus a Superiore numerantur, et qui maiorem partem, id est saltem unam fabam albam super medietatem habuerit, admissus habetur.

1548. Qui in primo vel secundo scrutinio, nunquam vero in tertio, maiorem partem votorum favorabilium non habuit, consentiente maiori parte familiae et Provinciali, Novitiatum continuare potest pro ulteriori probatione.

1549. In fine scrutini Fratres genuflectant, et Superior dicat:

*Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. R). Amen.*

Deinde alternatim dicitur Ps. 116: *Laudate Dominum omnes gentes*, etc. Quo dicto, omnes discedunt.

### § III. — De ritu recipiendi Novitium ad professionem.

1550. Primo notandum, quod idem ritus servandus est quoad professionem simplicem et solemnem, servatis de iure servandis.

1551. Novitius completo integro anno Novitiatu, praemissis spiritualibus exercitiis ac sacramentali Confessione, pridie professionis coram Superiore, Magistro et duobus testibus iuramentum praestet, sibi non esse

conscium alicuius impedimenti professionem invalidam reddentis; et sacram professionem libere, voluntarie et sincera mente, exclusa omni fraude, fictione et conditione vel restrictione, etiam mentali, se emissurum esse, promittens, etiam iuxta novissimi Capituli generalis Ordinationes<sup>1</sup>, se observare velle vitam communem. Quod iuramentum scripto confirmet in libro professionum, subscribentibus quoque Superiore, Magistro et testibus.

1552. Post Missam conventualem, quam ipse Superior vel alius ad hoc a P. Provinciali deputatus celebrabit, et in qua Novitius Communionem recipiet, Celebrans ipse, deposita Planeta et Manipulo, vel si alia hora aut ab alio functio facienda sit, superpelliceo et Stola indutus, ad Altare maius se confert cum duobus Acolythis cottis indutis. Praecedunt omnes Religiosi in conventu degentes, ac ipse Novitius.

1553. Facta debita reverentia, Altare ascendit, aliquantulum ad cornu Evangelii accedit, et facie ad Novitium in infimo gradu Altari genuflexum conversa, sedens super sellam paratam, sermonem facit, quo et gravitatem et pietatem huius sacri actus tum ipsi profitenti, tum caeteris circumstantibus exponit.

1554. Finito sermone, Sacerdos in ora suppedanei cum Acolythis genuflexus clara voce intonat Hymnum *Veni Creator* (vide num. 1535); quo alternantibus Choris finito, dicit:

*Ÿ. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur:*

*R). Et renovabis faciem terrae.*

<sup>1</sup> Ordinationes et Decisiones Capituli generalis LXV. De paupertate seraphica et de vita communi, n. 33.

1555. Dein surgens, suppedaneum conscendit, et facie ad Altare conversa dicit:

OREMUS.

*Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adiuvando proseguere: ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. R). Amen.*

1556. Expleta Oratione omnes surgunt, et Sacerdos redit ad sellam. Mox Novitius ante pedes eius genuflexus, iunctis manibus suis inter Sacerdotis palmas, clara et intelligibili voce profert formulam professionis (Laici in lingua vernacula) sequentem:

*Ego Frater N. N. voveo et promitto Deo omnipotenti, et beatæ Mariæ Virgini, et beato Francisco, et omnibus Sanctis, et tibi Pater, toto tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate.*

Cui recipiens ad professionem, quin surgat, subiungit (profitentibus Laicis in lingua vernacula):

*Et ego ex parte Dei, si hæc observaveris, promitto tibi vitam æternam. R). Amen.*

1557. Quo dicto, primus Acolythus caparonem, signum Novitiatus, a caputio iam dissutum, a collo profitentis aufert.

1558. Superior nunc surgit, ad Altaris medium accedit, ibique in suppedaneo versus Crucem consistit, et Ps. intonat *Ecce quam bonum* etc.

PSALMUS 132.

*Ecce quam bonum et quam iucundum \* habitare fratres in unum!*

*Sicut unguentum in capite, \* quod descendit in barbam, barbam Aaron.*

*Quod descendit in oram vestimenti eius: \* sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.*

*Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, \* et vitam usque in saeculum.*

*Gloria Patri, et Filio, \* et Spiritui sancto.*

*Sicut erat in principio, et nunc, et semper, \* et in saecula saeculorum. Amen.*

1559. Interim neo-Professus osculum pacis ab omnibus accipit ut in die vestitionis (vide num. 1536), dum Sacerdos stans sequentia dicit:

Ÿ. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis:*

R). *A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.*

OREMUS.

*Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.*

*Deus, qui per coaeternum Filium tuum cuncta creasti, quique mundum peccatis inveteratum, per mysterium Incarnationis eius renovare dignatus es: te supplices exoramus, ut super hunc famulum tuum, fratrem nostrum N. (hos famulos tuos, Fratres nostros N. N.), qui hodie in hoc sancto templo tuo vanitatem mundi, et pompas diaboli, per nostrae servitutis ministerium, voto solemniter (simplici) abrenunciare decrevit (decreverunt), ita respi-*

*cere digneris, ut spiritu mentis suae renovatus (-ati), veterem hominem cum actibus suis exuere, et novum, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur (mereantur). Per eundem Christum Dominum nostrum. R). Amen.*

## OREMUS.

*Domine Iesu Christe, qui es via, sine qua nemo vadit ad Patrem, quaesumus clementiam tuam; ut hunc famulum tuum (hos famulos tuos) a carnalibus desideriis abstractum (abstractos) per arctam ac tutam regularis disciplinae viam deducas; et qui peccatores vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: praesta, ut haec vox vocationis tuae ita in eo (eis) convalescat, quatenus onera peccatorum deponens (deponentes) et quam dulcis es degustans (degustantes), tua refectio sustentari mereatur (mereantur). Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. R). Amen.*

## OREMUS.

*Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum mortalibus revelare dignatus es, immensam tuae pietatis abundantiam suppliciter exoramus; ut sicut ubi vis, spiras, sic et huic famulo tuo Fratri nostro N. (his famulis tuis Fratribus nostris N. N.) affectum piae devotionis inspices: et qui tua sapientia est conditus (sunt conditi) tua quoque providentia gubernetur: quem (gubernentur: quos) etiam unctio tua de omnibus doceat. Et per intercessionem beatae Mariae Virginis, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, beati Patris nostri Francisci, ac*

*beati N. (beatorum N. N.)<sup>1</sup> et omnium Sanctorum, fac eum (eos) a saeculi vanitate ita veraciter converti, ut quod hodie te inspirante inchoat (inchoant), sic iuste, pie, ac sancte per veram humilitatem et obedientiam fraterna charitate fundatus (fundati), te adiuvante, perficiat (perficiant); ut in sancto Religionis proposito iugiter perseverans (perseverantes), ad vitam perveniat (perveniant) sempiternam. Qui cum Deo Patre et Filio eius, Domino nostro Iesu Christo, vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. R). Amen.*

1560. Post ultimam Orationem, Sacerdos intonat Ps. *Laudate Dominum omnes gentes* etc.; quo alternatim dicto, subiungit:

*Y. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis:*

*R). A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.*

*Y. Post partum, Virgo, inviolata permansisti:*

*R). Dei Genitrix, intercede pro nobis.*

*Y. Ora pro nobis, beate Pater noster Francisce:*

*R). Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

## OREMUS.

*Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti: quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.*

*Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.*

<sup>1</sup> Patronus Ecclesiae vel Provinciae.

*Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci meritis foetu novae prolis amplificas: tribue nobis ex eius imitatione terrena despicere, et coelestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R). Amen.*

*ÿ. Dominus vobiscum:*

*R). Et cum spiritu tuo.*

*ÿ. Benedicamus Domino:*

*R). Deo gratias.*

1561. Postea omnibus dabit benedictionem, dicens ut in fine Missae: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. R). Amen.*

Tunc omnes recedunt, et emissio vötorum in libro professionis postea adnotabitur.

1562. Si eodem tempore vestitio facienda sit atque professio, tunc caeremoniae fiunt sequenti modo: Primo Sacerdos observat omnia, quae dicta sunt supra in vestitione Fratrum, usque ad benedictionem vestimentorum. Deinde cantatur Hymnus *Veni Creator* cum *ÿ.* et Oratione, ut supra in professione. Oratione dicta, benedicit vestimenta et procedit ad vestitionem. Dicta Oratione *Deus, qui mira Crucis* etc., Sacerdos se vertit ad illos, qui profiteri debent, et excipit eorum professionem, ut supra indicatum est, ita ut tam Novitius, quam neo-Professus osculum pacis a Religiosis accipiat sub Ps. *Ecce quam bonum.*

## CAPUT II.

## DE RENOVATIONE S. PROFESSIONIS.

§ I. — *De renovatione s. professionis quotannis die 6 Ianuarii facienda occasione dedicationis totius Ordinis SSmo Cordi Iesu<sup>1</sup>.*

1563. Opportune diebus nostris facta est perpetua dedicatio Ordinis nostri SSmo Cordi Iesu, ut tota familia nostra a periculis liberaretur, et nos omnes digniores effici mereremur promissionibus B. Margaritae Alacoque factis in favorem Sacerdotum et Congregationum Regularium ad zelum efficacem reddendum et observantiam regularem servandam et restituendam<sup>2</sup>.

1564. Perpulchre cum hac solemnii dedicatione renovatio professionis coniungitur, ita ut utraque functio unam tantum constituat. Sequentia observanda veniunt.

1565. Die 6 Ianuarii, post Missam conventualem aut alia hora magis opportuna, exposito de more

<sup>1</sup> Vide Analecta Ordinis, vol. III, pag. 10. — Dies in quibus simili modo, ut hic notatur, professio renovari solet, sunt dies 16 Aprilis et 29 Novembris.

<sup>2</sup> Indulgentiae ob renovationem dedicationis concessae: 1. Plenaria omnibus Fratribus (poenitentibus, confessis et S. Synaxi reffectis) renovantibus professionem in festo Epiphaniae D. N. Iesu Christi; 2. Septem annorum singulis primis sextis Feriis cuiuslibet mensis, omnibus Fratribus professionem renovantibus (Pius IX: 7 Octob. 1873, et 14 Ianuar. 1874).